MESSIS AUREA immortalis gloriæ,

in Arena Literaria,
Ex Campo Virtutum & meritorum
Perillustris olim & Reverendissimi Domini

D. M. MARTINI WALESZYNSKI,

Sacræ Th: DOCTORIS, & PROFESSORIS, Collegij Majoris SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum Cathedralis Crac: CANONICI, Præmykoviensis PRÆPOSITI, Contubernij Hierozolymitani PROVISORIS, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCVRATORIS, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarij CENSORIS, Studij Generalis Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARII.

Arbitriô fatorum
in Hieme vitæ

COLLECTA;

ac dùm ei
Justa Parentalia in Ecclesia Divæ ANNÆ,
cum magno Ordinum Academicorum dolore
persolverentur,
PER
M. ADALBERTVM JOSEPHVM GOSZKOWSKI,
S. Th: PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum Collegiatarum, S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: CANONICUM, Visliciensis DECANUM.
lugubri calamô

DESCRIPTA.

Annô, quô in Mundum venit Dominus messis. 1739 die 20. Februarij.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

MESSIS
AUREA
immortalis gloriæ,

Quid putas Parca insolens?
Jam ne credis te nemini parcere,
omnem movendo sepulchralem lapidem?
Num sis Marpesia caute durior?
Cunctis viventibus lapis offensionis adeò gravis:
ut in pulverem mortalium genus conteras?
Siccine?
Nullus revolvetur annus, quo vitam hominum non dilapides?
Nullus temporum computabitur proventus, quem non disperdas?
An?
Ad latumias omnes tecum damnas populos?
ut præ furore tuo in marmora rigescant,
nullum vitæ allaturi censum.
Risus fortè, quem Sardonium moves, lachrymas ciet?
ut Orbis tanto in cataclysmo natans,
sterilior emergat.
Discordiam inter corpus & animam seminas;
arida ossa metis;
Acerbiora sæculo Deucalionis inducens tempora.
Itane?
Humanum genus, terræ inutile pondus existimas,
dum ei vitam eripis?
Nescis?
Non annis vivere mortales, sed factis.

Non

Non ipse numerus annorum inter lucra censetur,
qui minus benè expenditur.
Malè enim impensum tempus, dispendium est, non proventus.
Siquidem: *nihil vivitur, malè vivendo.*
Sola virtus, ut perpetuum sibi condit ævum,
sic cum invidia fatorum censum vitæ meretur immortalem.
Imò,
Si in ætatis Vere pulchriùs explicatur in florem:
Si ardentiùs in annorum Æstate flagrat ad optima:
Si Autumno meritorum feraci indies maturescit;
gelidæ mortis non timet Hiemem,
Nec Triptolemi observat tempora ad colligendam gloriæ messem.
Omni tempore in Arena Literaria & seritur & metitur.
Non Ver Autumno, non Æstas Brumæ cedit.
Omnia hìc virent, omnia turgent frugibûs eruditìs.
En satis pretiosam messem,
etiam in hieme vitæ,
anni tulerunt Tui.
Perillustris olim & Reverendissime Domine.

D.M. MARTINE
WALESZYNSKI,

S. Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Collegij Majoris SENIOR PATER, Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: CANONICE, Præmykoviensis PRÆPOSITE, Contubernij Hierozolymitani PROVISOR, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII PROCVRATOR, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Ordinarie CENSOR, Studij Generalis Cr: PROCANCELLARIE.

Cujus vitæ totum negotium erat,
tempus in pretio habuisse.

 adeò

Adeò,

Vt omnes anni Tui in aurum priſcum abiverint,

Hinc, nec tempori, nec teneræ ætati Tuæ parcebas.

quaſi noveris:

Magnum eſſe vectigal, temporis parſimoniam.

&

Magnæ indolis animus vitam ſimul & opus incipit, tempuſq; non prorogat, ſed urget.

Vix te magnus ultra infantem ſpiritus dilatavit,

Palladi Te dicaſti.

Maturaveras pueriles; non leves tamen, greſſus Tuos

in Arenam Literariam.

Ad Manipulum acceſſeras Jagellonicum,

bonô indiciô;

Meſſem inde auream gloriæ Tuæ in tempore collecturus.

Campus erat.

Virtutum & meritorum Tuorum

Orbis Academicus;

Quem & ingenium Tuum tam benè coluiſti,

ut in flore ætatis jam maturi Scientiarum fructus apparuerint,

Muſis & Apollini Cracio ad palatum.

Ex atomis tumuere montes;

Tibi ex Scholaſtico pulvere, optimæ indolis accedente cultura

Olympus creverat,

pretiosô granô immortalis famæ conſeminandus.

Ex Arena,

in qua ſeriò ludebas cum Muſis & Apolline,

tempus non eludendo:

ut conſuevêre ignavi, fruges conſumère nati.

& quam

inæſtimabili frontis Tuæ ſæpius irrigabas ſudore,

amænam Laurearum legiſti meſſem.

Sic

Sic dives erudita Cerere & satur,
Castalios latices, Tullianos fontes, Aristotelicum Eurippum
Aquinaticum Mare hauseras.
Iam tunc Boni publici amantissimus.
Non Tibi tantum natum Te credidisti.
Omnium Te Scientiarum capacissimum reddebas;
non, ut emineres, sed prodesses,
Patriæ, Ecclesiæ & omnibus.
Ita facilè evaseras,
Pöëta, Orator, Historicus, Philosophus, Theologus,
& omnia.
Tacerem ego; sed singulorum documenta Orbis habet.
Clara sunt ad atras pompæ funebralis umbras
Magnarum Majoris Poloniæ Heroinarum,
Tua epicedia,
à doloribus ipsis appretiata,
quibus afflictos orbitate Heroes,
ILLUSTRISSIMOS DOMINOS
VLADISLAUM *de Radomicko* RADOMICKI,
Valcensem, Mosinensem &c. CAPITANEVM,
intimum Magnæ Parentis Filium.
PETRUM *de Paradyß* BRONISZ, Pyszdrensem
CAPITANEVM, consortis lectissimæ
deploratores solabaris.
Conclusio
ex malè intellectis à cæca Libitina principijs
illata,
ingenioso Tuô & dulci refutata elegô
posthumas laudes Viri de Rep. Literaria meritissimi
M. CASIMIRI MUSIAŁOVII, continente,

benè probavit Te Dircæos & Mantuanos,
ſvavitate Poetici concentûs ſuperaſſe olores.
Canendo, cæpiſti auream gloriæ Tuæ colligere meſſem.
Et quidem,
Triſtia temperaveras amænis,
ut oſtenderes:
Seminantes in lachrymis in exultatione metere.
Campus Eloquentiæ
laboribûs Tuis quàm benè cultus erat,
Ex fructibus eloquij Tui uberrimis,
quibus Minoris Majorisq; Poloniæ impleveras Orbem;
novimus.
Angelicus Doctor, lingva Tua interprete NAVARCHVS,
Argonavi Eccleſiæ Dei, quam gubernat,
per totum hoc mare magnum & ſpatioſum
auream oris Tui vehit Cererem.
Idem,
ut ſub alia forma, etiam ad aſtra efferret pretioſas merces,
erudita metamorphoſi ab ingenio Tuo,
ex Navarcho factus eſt CYGNVS, Aquinaticis innatans Aquis,
& ſimul Pactolo
ab ore facundo fluenti.
Phoſphorus Solem Juſtitiæ præcedens
Divus JOANNES CANTIUS
Oratorijs luminibus Tuis in ſuas laudes accenſis
auxit lumina;
ut Magnus Tibi creviſſet dies, ad colligendam ampliùs
famæ immortalis meſſem.
Devotus Minervæ Cultor,
Primitias frugum Campi Eloquentiæ Aris impoſueras Divorum;
cæteras aut venerandis conſecraveras Antiſtitibus;
aut in publicos Magnorum Virorum uſus converteras.
Manent alta mente repoſiti recentiſſimi flores Tullij,
roſæ

rosæ Hortensij, gemmæ verborum Tuorum,
in aureo cælis à te illato Capite
Perillustris olim & Reverendissimi Domini
GASPARIS de Cienie CIENSKI.
Grande id Coronati Vavelli Decus, quò sublimiùs acumine Oratorio extulisti,
eò vastiorem gloriæ Tuæ cumulasti acervum.

SONIPES
WIELOPOLSCIUS,

Equite suo Honore, in publico, ad Præfecturam
Opocznensem; ingressu, triumphante onustus;
etiam Tuo gaudebat ad triumphalem pompam
pretioso verborum ornari apparatu,
opulentâ svadæ onerari supellectili.
Imò gratitudinis ergò,
Messem, quam collegeras in Campo Tullij, ut sciat Orbis,
quâm fuerit inæstimabilis,
portare coram Gentibus non desinit.
A floridissimo Campo, quem fontes irrigant Oratorij,
nec lato ungve distare noveras Philosophicam arenam
Quàm ille frugum doctarum ferax, tam hæc non sterilis;
quamvis plena Logicalibus spinis.
Spinas & tribulos non abhorrebas.
Rosas de spinis colligi & florum Reges lilia illis armari,
non dubitans.
Arena quoq; acutis non rarò strata tribulis,
iter erat non uni Lesconi ad coronam.
Ad hanc excolendam vocasti operarios Tuos,
quos à primo mane vitæ innocentis conduxeras;
Laborem, Virtutem & Sapientiam.
Ipse Solertissimus Cultor,
biennali Cursu bis decurrendo stadia Philosophica,
solicitudine Tua & curâ

non unus Tibi aureus manipulus stetit.
Crescebant victrices palmæ, suo inter erudita certamina Victori.
tot laureolás metebas, quot victorias reportasti.
Saturnia etsi redirent tempora,
tam uberem non producerent messem,
quantam gloriæ temporibus Tuis admirabatur Pallas Lubransciana,
proceritati Arboris suæ similem,
in arena Stagyritica assurrexisse.
Documenta extant
Magnîs Nominibûs
RADOMICCIORVM, SZOŁDRSCIORVM,
ŁACCIORVM, SIERAKOVIORVM,
MAGNVSCIORVM
insignita;
Quibus auream ingenij Tui Cererem in sudore vultûs collectam,
sæpius dedicaveras.
Tam providi Arenæ Philosophicæ coloni,
à quo suum Aristoteles sitiret Euripum,
Nomen laudesq; ad sidera extollit Posnania;
Cui aureæ scientiarum messis abundantiam
in Turribus ejus reliquisti.
Sacræ Præsides Cathedræ,
Vbertate gaudent lectissimarum animi Tui frugum.
Doctor Gentium Paulus
insignem gloriæ Tuæ summam,
Thesibus universæ Philosophiæ, Peraugusto Capitulo dicatis,
contentam,
ut toti faciliùs commendaret Orbi, Libro inseruit Doctorali.
Princeps Apostolorum Petrus,
Sub Clavibus Regni *similis thesauro in Agro abscondito*,
Annulô Pontificiô signatum pretiosum Verbi Divini germen
toties in laudes CANTII ab ore Tuo pullulans,
bene

benè asservat.

Cedro potior Arbor Lubransciana,
quotquot explicuit folia, tot codices edidit,
ad exarandos aureis characteribus Magni sui Cultoris
encomiorum proventus.

Szołdrsciana Argo,
Caris Heroum pignoribus onusta,
Vigilantissimi Præfecti laborum, virtutum & meritorum,
eruditas opes Phryxeis pretiosiores velleribus
jactabat.

Vndiq; auream gloriæ ut colligeres messem,
egisti.

Addebas non parvis parva; sed maximis majora.
Sic innumeros cumulaveras Tibi famæ immortalis acervos.
Sic pulcher honoris crescebat apex.
Finis unius laboris Tui, *gradus erat alterius.*
quies gratissima, otiari nunquam.
Unam virtutem nullam esse existimans,
omnes Tibi fædere quodam inviolabili associasti.
Cùm multa merueris, nihil Te meruisse credens;
Meritis merita, opera operibus in dies præstantiora adjciebas,
adeò,
ut in Te oculos & animos
Magnorum in Rep: Virorum
converteres.
Qui optimam ingenij Tui stupentes polituram,
tenellam Ascaniorum suorum indolem summos ad honores natam,
committebant Tibi excolendam.
non ignari:
bonum esse, instrui ab optimis.
Spem in herba, vota Illustrissimorum Heroum non elusisti.
Talem culturam generosis adhibendo surculis
ex quibus, ubi succreverant, facilè efformasti

Joves Sceptrorum, Mercurios Caduceorum, Alcidas Clavarum capacissimos.
Fatebatur ore publico, quantùm Tibi debebat,
Magnum Senatûs Poloni Decus
ILLUSTRISSIMUS olim DOMINUS
D. ALEXANDER COMES in Pieskowa Skáłá
WIELOPOLSKI,
CAPITANEVS Opocznensis, Rapstinensis
vivam in se Avorum Atavorumq; imaginem,
moribûs pulcherrimis & virtutibûs referens.
Hic Te Alexander Aristotelem suum,
nunquam satis Orbi commendandum duxit.
Laboravitq; ut aurea gloriæ Tuæ messis semper copiosior assurgeret.
Divinum in Te quiddam adverterat
Illustrissimus olim & Excellentissimus Dominus
D. FRANCISCUS
COMES in Zywiec & Pieskowa Skáłá
WIELOPOLSKI
Palatinus Cracoviensis,
Consus Lechicus & Stator,
ingeniorum Æstimator summus.
Sponsam *illustrissimi* sui Sangvinis,
Sponso Cælesti desponsaturus;
Superos ut flecteres in vota propitios,
Te ad Nuptias Agni cum omni verborum apparatu,
Oratorem pro Domo Sponsæ habere voluit.
Hinc, inde,
Te benè colligentem auream gloriæ Tuæ messem,
Alma Mater videns Universitas,
reponendis tam pretiosis frugibus Tuis,
Emporium providit in Collegio Minori.
Sed minus erat, ut totum caperet,
quod

quod virtutibus & meritis collecturus eras ad gloriam.
Et merita crescebant & præmia,
à minori ad majus augmentum gloriæ.
Plura tamen, quæ gesseris, sic minui profuit,
ut more declinantis ad ima solis,
amplitudo eorum appareret vastior & esset.
Spectarunt id exotici Soles,
quos petieras,
non sine commeatu Scientiarum:
non sine comitatu operum laudabilium.
Campum spatiosiorem Tuis meritis quæsiturus,
perrexeras alienum in Orbem;
ut non sub uno Sole Ceres erudita Tua maturuisset.
Cara Lechici Regni Pignora
Illustrissimos Dominos.
D. JOANNEM TAGOBORSKI,
CAPITANEUM Małogostensem,
IVDICEM Osviecimensem.
D. FRANCISCUM ZYDOWSKI,
VEXILLIFERIDAM Cracoviensem,
ad exteras oras Tecum vexisti,
expositurus luci publicæ,
quæ pretia Orbis Polonus habet.
Edoctus apud exteros,
quàm benè: *terra quævis alit artem:*
quàm gloriosa gloriæ seges assurgit,
alienis sæpe in agris,
redijsti in Patriam;
tantò gratior Academicæ Palladi,
quantò plura tecum advexeras,
quæ ei cesserunt in decus & solatium;
Tibi in auream famæ immortalis messem.
Quodsi locus debeat correspondere locato;

Accrescenti meritorum Tuorum annonæ,
grandius opus erat receptaculum,
id est

Collegium Majus.

Hanc Divi Jagellonis ingressus Aulam,
quidquid egisti Regius Professor,
Regia Majestate dignum:
quidquid locutus es Tylicianus Orator,
auro cedroq; notandum:
quidquid Domûs istius Collega exemplô docuisti,
CANTIANUM, pium, Sanctum erat.
In hac Domo
Tecum habitasti semper, sed non solus;
Virtus, Pietas, Labor,
Socij Tui individui & comites.
Amor in Te boni communis quàm ardens, tam providus,
totus in commoda Orbis Literarij effusus;
iterum Te ad exoticos Soles traxerat,
Ut, vel Nomen laudesq; Gracij Apollinis,
ubiq; terrarum gloriosiùs circumtulisses.
Vel, si quid alibi esset pretij,
cum aurea gloriæ Tuæ messe, in publicum collegisses
emolumentum.
Plurimi ita extra limites eunt Patrios,
ut simul extra recti orbitam procedant.
Tu
intra sphæram modestiæ Tuæ, ubiq; idem eras & non alius.
Toto quidem cælo dividebaris à Patria;
sed ab integritate morum ejus,
ne latum in ungvem distabas.
Quot Regna, Provincias, Vrbes peragraveras,
tot erant Campi,
in quibus virtutum Tuarum spargendo sementem,
non inanes gloriæ surgebant culmi.

Quam

Quàm profundè verò,
Famæ Tuæ vestigia alieno solo impresseris?
palam est.
In Aulis Principum, in Palatijs Ducum,
Gratus Hospes.
Serenitate vultûs, gravitate supercilij, oris dulcedine,
candore pectoris,
omnibus commendabilis.
Tu Septicollem Romam,
Tu vicinam DEO Majestatem
Votis inclinaveras Tuis;
dum coram Supremo Orbis Capite,
Romano Pontifice
CLEMENTE XI.
CANTIANI PROMOTOR honoris,
Oratorem egisti disertissimum.
Tu Parisijs,
Eminentissimum Cardinalem de Byssy Episcopum
Meldansem &c. traxisti in amorem Tui;
ille Te traxisset ad honores,
nisi Te aliò superi avocassent.
Tu in animis Principum exterorum
non peregrinus eras.
REGI SARDINIÆ
in favoribus.
DUCI SABAUDIÆ
in æstimatione;
utriq; desiderium Tui reliquisti.

Coram Auguſtiſſima Majeſtate Romanorum Imperatoris

CAROLI VI.

negotia Tua expoſiturus,

inveniſti gratiam

Celſiſſimi Domini THEODORI S.R.I. Principis LUBOMIRSKI, Comitis in Wiśnicz & Járosław, Palatini Cracovienſis, Scepuſienſis &c. Capitanei.

Senatorum Argi,

Sagô Togâq; Viri meritiſſimi.

Cujus beneficij memor,

nactus eras maxima & illis fruebaris.

Quidquid Heſperidum floruerat in hortis.

quidquid Gallica explicuerant Lilia.

Europæis quidquid fertilius maturuerat in campis.

Exotici quidquid præſtantius excoxere ſoles;

totum id,

Małachovianam in Faſciam,

Illam remotas explicando per oras,

Unde

collegeras ſolertiſſimè.

in Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo IOANNE

Procancellario Regni,

Magnus Patriæ creviſſet proventus;

Tibi aurea gloriæ meſſis.

Creverant in immenſum opimæ meritorum Tuorum fruges,

creverat & pretium.

Hinc valor & æſtimatio Valeſzynij.

Primorum quidem Regni Capitum,

cogitationes de Te non vanæ;

ſed

ſed in CAPITE ŁUBIENSCIANO,
tam alta mente repoſitus eras,
quàm excelſis,
ex voto Magni Præſulis,
ni fata obicem poſuiſſent,
donandus honoribus.
Cœleſti Eridano compar LVBOMIRSCIVS SRZENIAWA,
Tuum benè merendi Campum,
pretioſis gratiarum ſuarum irrigabat fluentis;
glorioſæ Cereri Tuæ dans incrementum.
Celſiſsima olim COMES *in Wiſnicz & Jarosław* ANNA
de Lubomierz MAŁACHOWSKA Palatina
Poſnanienſis S. R. I. Princeps.
Heroina illa, Cujus,
procul & de ultimis finibus pretium;
Te ſuæ Illuſtriſſimæ Prolis,
ad meliora quæq; optimum Anteſignanum,
largis cumulabat beneficijs, Tuas appretiabat dotes.
Viæ Tuæ, viæ pulchræ:
omnes virtutum Tuarum ſemitæ,
laudatiſſimis plenæ exemplis.
in omni Tuo progreſſu adeò felix;
ut, quidquid cum Perſeo calcaveris, roſa:
quidquid cum Mida tetigeris, aurum
fieret.
Quacunq; iveras, comitate morum Te comitante;
corda Principum, animos populorum, favores omnium,
velut aureîs Timothei retibûs tenebas,
in Orbem tracturus Academicum.
In quem redux,
Cælum non animum mutans, etiam trans mare currens,
compos eras votorum Tuorum.
Pretioſiorem unionem nec Oceanus vidit, unionum ferax,
Animorum unione in Te conſpirantium;
quàm concordi diſcordiâ linguarum,
apud Optimates Regni Tibi conciliaſti.

Hac idiomatum diverſitate, quam callebas,
Vniverſitati reſpondebas optimè:
ab ejus legibus, moribus, laudabili conſvetudine,
nec in minimo diſcrepans.
Quàm Te unicordem, tam unilingvem,
Candor ſemper probavit Academicus.
Peritiâ Tuâ lingvarum:
- - - - *Sarmaticis ſpatiari Græcia campis*
Creditur; & veteres rediſſe putantur Athenæ
Tecum. - - - - - - - - - -
Quanquam Domi erat,
unde totum erudiebas Orbem,
ex Cathedra Theologica Profeſſor,
ex Sacris Exedris Eccleſiaſtes,
ab ore Tuo tanquam de Tripode oracula pandens,
Non cecidit quidquam *ex omnibus verbis* Tuis *in terram*,
Avidæ aures excepêre totum,
ingenioſæ trutinavêre mentes,
ſtudioſa fovêre corda.
Et ſi quid ceciderat de granis verborum Tuorum ſelectiſimis,
ſemper *in terram bonam*,
fructum centuplum afferens.
ad augendam gloriæ Tuæ meſſem.
Semen Verbi Divini,
quod in Arena Literaria circa Mare Aquinaticum,
operoſo cultu ſeminaveras,
quantum Tibi famæ immortalis proventum attulerit!
ex ſumma Thomiſtica,
in aureo Capite Tuo repoſita:
ex favis Ambroſij per os Tuum diſtillantibus,
ex pretioſa Chriſoſtomi ſupellectili,
erudito in pectore recondita:
ex ſplendido Auguſtini apparatu,
in animo Tuo relucente,
conſtat. Vt

Ut seminasti
in Sacratioribus Olympijs Stadiodromus,
in Scholasticis certaminibus Victor,
in Orbe Sapientiæ Doctor;
ita metebas,

Serta, Palmas, Laureas.
Musa Te Jagellonica non vilibûs herbîs;
sed aureô coronaverat Manipulô,
Doctoralem Theologicam Lauream
conferendo.
Sic
coronatum Fascibus admoverat Rectôralibus sexdecies,
ut Orbem Literarium,
eò Magnificentiùs rexisset Sapientia.
Publicis curis magnisq; negotijs
aliud est idoneum videri, adhiberi aliud.
Multi Atlantes crediti, nisi adhibiti fuissent, diuq; pro oraculis habiti, antequam respondissent.
In Te,
Forma ipsa, quàm fuerit digna imperio,
tam in Regno Scientiarum Regimen Tuum ad amussim.
Prudentia, Magnitudo animi, Dexteritas,
Tui asseclæ.
Authoritas summa, Reverentia debita, communis omnium Amor
Tui comites.
Malè imperat, qui imperat tantùm.
Non est commodum.
Si semper Severi, nunquam Titi solia teneant.
In pectore Tuo posuêre sedem,
Justitia, Mansvetudo, Vigilantia;
ut, & sceleri timor & virtuti honor fuisset:

E & Ardua

& ardua negotiorum ſolicitudo,
eminuiſſet in Te Principe.
Quàm gloriosè humeris Tuis Orbem ſupportaveras Academicum
indefeſſus Atlas;
tam avidè Capiti ejus trinæ Vavelli impendebant Coronæ.
Gemma Doctorum cùm fueris,
Coronis inſeri debueras.
Grandes erant
congregatæ aureæ Tuæ meſſis acervi,
commenſutari non poterant, niſi eminenti Vavellô.
Hîc nemo dubitabit unquam:
& hæc, quæ congregaſti, cujus erunt?
Criſim effugit prudens collectio bonorum.
Congregare, ut expendas meliùs, non avaritia eſt,
ſed præventa liberalitas.
Opes animi Tui,
Opes gloriæ & fortunæ,
quàm benè colligebas; tam expendiſti optimè,
liberalis Martinus.
Aurea Scriptorum Tuorum ſcrinia,
in quæ Tui eloquij Pactolus aut Hydaſpes influebat,
Orbem ditaverê Literarium.
Verus Pater Patriæ,
quidquid ingeniô, lingvâ, opere, fama referente,
accumulaſti;
Almæ Matri reliqueras totum,
Filijs in perenne emolumentum.
Addebat pondus eruditis opibus,
Spontanea munificentia.
Alter Phæbus, etiam non rogatus omnibus beneficus oriebaris.
ratus perbellè:
quòd nonniſi multis precibus extorqueas, beneficij
nomen vix meretur.
Fortu-

Fortunam libenter alienam esse voluisti,
nihil de ea Tibi reservando,
quod non Communitati serviret.
Quidquid erogatur piè in aliorum usus,
proventus est, non dispendium.
qui liberali spargit opes manu, servat.
Observa solem, intuere maria,
dando, non deficiunt.
Vbi effuderunt, ille radios; hæc aquas,
nihil minus habent, imò abundant.
Omne per ævum non sine censu manebit
Liberalitas Martini,
& quæ
nunquam pigra fuit, sacris Tua gratia rebus;
Aris Divorum, aut illorum cultui promovendo impensa.
CANTIANVS honor de Tuis donis & curis appretiatus,
Tuus erit.
Novum fænoris genus, Deo fænerari.
Dare, quod acceperis:
ut luculentiùs hoc recipias, quod dederis.
Non in aqua scribentur beneficia Tua,
Universitati, Collegijs, Indigentibus,
præstita.
Typi Characteribûs,
quibus in atramentum, aurum Tuum copiosiùs influxit,
Liberale Nomen adamantinæ memoriæ imprimetur.
ac in fertili paginarum æquore,
Musarum agello,
nigerrimum notarum semen commissum,
semper in auream gloriæ Tuæ excrescet messem.
Vox molæ - - audietur - - - amplius
liquido ære Tuo plusquam affluentibus aquis resonans.

 Et *Spiri-*

Et *Spiritus* Liberalitatis Tuæ *in rotis*, ejus,
animabit ad encomia danda Posteritatem.
Omnes largis de censibus Tuis viventes,
grati animi debitores erunt.
Ipsa egestas,
cui Te in nummorum subsidio Numam exhibuisti,
ut Numen recolet.
Te verum sapientem deprædicabit Orbi.
nam:
optimè sapit, *qui super egenum intelligit.*
Aurei Orbes munificentiæ Tuæ,
multiplicabunt encomiorum summam;
Tibi in coronam æternitatis desinent:
cælo viciniorem turgescent in Olympum.
Sic dum alloquor pijssimos Manes,
tetra mortis in imagine,
stupet animus, contremiscunt artus,
calamus obrigescit.
Virum amisimus!
Magnum Reip: Literariæ Statorem,
Orbis Academici Lumen & Columen,
Togatæ Gentis Decus & Præsidium!
Sæculis opus est, ut ejusmodi Phœnices nascantur.
Extra undas quidem sæculi, non tamen nostras
extra lachrymas stetit,
irritamentum ijs perpetuum.
Magnos quippe Viros serò requirimus,
quorum ab excessu reverentia major,
ætatis præteritæ suspiria fatigat.
Concidimus!
Nisi oraculis Vatum mitigaretur mæror:
Dignum laude Virum Musa vetat mori.
immor-

- - - *immersabilis est vera virtus.*
Medio in Ponto portum inveniet.
Nunquam Stygias fertur ad undas.

Hic mori nequit.

Cui perennem vitam immortales res gestæ pepetêre.

Imò

Sol in occasu grandior;
Clarissimi Viri in umbra mortis illustriores.
Quis? quantusve fuerit VALESZYNIUS?
in hieme vitam ejus Libitina carpente;
ex fructibus laudabilium operum cognoscendus.
Non abstinuit quidem à sua ingluvie
avara Mors:
Sacra jejunia frangere voluit;
de optimis fructibus Viri,
opiparas parare sibi escas contendens;
sed elusa.
Panis ejus: nonnisi sepulchralis lapis,
dapes: *pulvis & cinis.*
Magis esurire cogitur insatiabilis vorago Parca,
dum inter rigescentis brumæ algores,
in manipulos redactæ segetes immortalis, famæ,
Patris Dignissimi,
congregatæ sunt in horrea Cœli.
Et si
Mors justi, vitæ præsentis exitus, introitus est melioris.
Vivit ille, non cadit in umbras mortis,
quem bona & illustri asequuntur opera.

Opera illa,
quibus vel Ipsa Serenissima
AUGUSTI III. REGIS Poloniarum
Majestas,

F

in primo

in primo ad Regni gubernacula Ingressu,
Demosthenis hujus disertissimi verba ab ore excipiens,
splendorem addidit.
Quibus tanta accessit Gratia,

Eminentissimi Domini
D. JOANNIS ALEXANDRI
à LIPE LIPSKI,
S.R.E. Cardinalis, Episcopi Cracoviensis, Ducis
Severiæ, Cancellarij Universitatis Crac:
Faventissimi;
ut senium venerandi Patris solaretur,
sublevaret præsentiâ suâ infirmitatem;
Auream gloriæ messem
Gentilitijs Rastris protegeret.
Non in tumulo quærendus Phæbus noster.
sed in cordibus Coronati Vavelli Procerum.
& oritur in suspirijs,
& refulget in mentibus Eorum.
Atram fatorum ejus noctem,
Illustrissima Cynthia illuminat,

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. MICHAEL à Granow WODZICKI,
Decanus Cathedralis Cracoviensis, Abbas Wachocensis, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Crac: Custos Visliciensis, &c. &c.
Non merguntur in fluctibus Lethes,
undecunq; collectæ, pretiosæ meritorum fruges,
tollente sub sidera cymbam vitæ MARTINI;
Anchorâ

Perit-

Perillustris & Reverendissimi Domini

D. M. HYACINTHI ŁOPACKI.

S. Th: & Medicinæ Doctoris, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonici, Collegiatæ Sandomiriensis Decani, B. M. Virginis in Circulo Crac: Archipræsbyteri Infulati, &c.

Aurum auro adjecit HYACINTHUS,
pondus & pretium.
Ornavit Gemmâ, coronavit Flore
laboriosissimum
In Arena Literaria
Operarium,
Æstimatissimus
Vltimarum Ejus Tabularum
Protector.
Vivit! vivit in Vobis
Spiritus ille Magni Patris!
Integerrimi ultimæ Voluntatis ejus
Executores,

Perillustris Clârissime & Admodùm Reverende Domine,

D. M. MATHIA ZIĘTKIEWICZ,

S. Th: Doctor & Professor, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Clepardiæ ad Crac: Decane, Cureloviensis Scholastice, Zarnovecensis Præposite.

Cujus Cordi adhæseras vel ideò,
quòd Te præsago quodam spiritu,
simillimum sibi,
amore boni publici, consiliò, dexteritate in rebus agendis,
authoritate & morum gravitate,
Magnorum æstimatione Virorum,
Orbi profuturum Literario,
credidisset.

Perillustris Clarissime, & Admodùm Reverende Domine

D. M. FRANCISCE KALEWSKI,

S. Th: Doctor & Professor, ejusdemq; Facultatis Decane, Collega Major, Ecclesiarum, Collegiatæ SS.OO. Præposite. Starokorczynensis Curate.

Illius dimidium animæ,

Qui Te annis quadraginta propè adeò dilexerat;

ut sine Te vivere, molestum:

ab amore Tui avelli, gravissimum,

existimaret.

Pacis Te & charitatis propagatorem,

Optimi consilij Virum,

Omnis tranquillitatis & mansvetudinis

amantissimum ratus.

Utriusque Vestrum,

quàm intima inter vos amicitia Pyladis cum Oreste;

tam circa tædiosos grandævi Senis langvores,

solicita cura.

Vterq; Vestrum alternis vicibus molestos mitigabat dolores.

Vnus alteri perdius aut pernox,

succedebat Castor & Pollux.

Uterq;

quousq; spiritus hos regebat artus,

vitalis lucis ejus,

custos aderat vigilantissimus.

Hinc Vobis

pro servatis usq; ad Aras amicitiæ juribus,

de Domo, quam inhabitat, amicos Cæli favores

vovet.

Superosq; exorat,

ut centuplò copiosior assurgat Vobis

Aurea

immortalis gloriæ

Messis.